

F I D E.

PRÆLECTIO PRÆLUDIALIS.

Apologia pro Theologis adversus malignos Obrethatores; in qua Theologorum Fides a calumniis vindicatur; eosque plus ceteris credere, luculentissimo demonstratur.



Uæ duo bonarum Artium, Litterarumque Cultores arduum opus aggressuros plurimum movent, ut prompti, & alacres studiorum rationem ingrediantur; tractandi scilicet Argumenti sublimitas, & utilitas: ea nos in præsentia potissime recreant, atque re-
ficiunt. De Fide enim Virtute Theologica ex hoc loco dicturi ad *Distinctionem* 23., ceterasque proxime sequentes *libri* 3. *Sententiarum*, cujus nobis interpretatio demandata est, id agemus in præsentia, quod in re Theologica summum est, quod sublimius, quod utilius; parum est, ut dicam, quod Christianæ Reipublicæ præ ceteris necessarium. In aliis quippe Theologica Disciplina partibus Religionis, & Fidei causa ex parte duntaxat agitur: quid de uno, alterove Mysterio tenendum, quid credendum, quid inde sit consequens, unice quaritur. At ubi de Fide in universum data opera, ac principe studio disputatur, tota Christianæ rei summa vertitur: nec unius modo, alteriusve Mysterii, sed omnium plane, ac singulorum veritas asseritur, defenditur, confirmatur. Quæ sit Fidei nostræ Natura, quæ Dotes; quibus Regulis credenda sint omnia; quæ sint Fidei nostræ Fundamenta, quæ Principia, quæ Causæ, quæ Formulæ, generatim ostenditur: quæ vera Fidelium Societas, quibusve Noris a pravis omnibus Sectis feceratur; quæ Sacrarum Scripturarum, quæ Traditionum, quæ Conciliorum Auctoritas; quis certus Controversiarum Fidei Index; num falli, ac fallere nescius; quibus limitibus ejus circumscribatur Auctoritas; aliaque id genus multa, a quibus tota, qua late patet, Christiana Religio, tanquam e sacro manipulo, pendet.

In his igitur explicandis, tradendisque nostra defudabit industria: in quibus vicissim excipiens, addiscendisque parem in studiosa Juventute diligentiam desideramus, & animi contentionem. Quod ut belle cadat, nihilque consilii nostri impedimento sit, aut etiam moræ, antequam opus aggrediar, tetram hodie calumniam depellam Theologico Ordini vulgo impactam: quæ si florentissimæ Juventutis animos occuparet, eandem & a nobis averteret, & ab ea, quam modo suscipimus Theologica Disciplina parte addiscenda, penitus avocaret. Quanquam illa? Egredere dico; dico tamen, quia dissimulari ultra non potest: nimirum vulgaris illa, multorumque sermone trita Calumnia; Theologos, magnos illos de Fide Disputatores dubie ut plurimum, ac lubricæ Fidei Viros esse: qui cum multa de Deo, Divinisque

credenda ceteros doceant, eo demum licentiæ deveniunt, ut Ipsimet nihil credant. Eo nos probro quotidie oneramus: ut quæ dudum in Proverbium cecit, Medicos abstinere Medicaminibus; Jurisperitos, atque Causidicos nunquam pro se ipsos lites intendere, ita veteri verbo Theologi nos, Doctoresque Fidei, nullius Fidei dicimur esse. Vah tetram, stultamque sycophantiam!

Et quidem, si mea tantum res ageretur, & causa, patienti animo ferrem, illatamque injuriam surda aure patienter sustinerem. Verum cum eo oneremur probro quotquot hic Theologica Professione, & nomine sumus, publicam causam publicis hodie actor orabo: ac dum Medici, Legumque Periti sese ipsi ab obrethatoribus suis aliquando defendunt, a quibus tamen minori afficiuntur injuria; (abstinere quippe Medicaminibus, litesque nunquam intendere, quod illis vitio datur, illud certe quandoque salubre, istud semper est honestissimum; nullius autem esse Fidei, quod nobis impingitur, impium semper est, & facilem dum, inquam, sese ipsi aliquando defendunt, quod officii mei est, Teologici Ordinis præ ceteris male habiti partes agam; & pro honore Disciplina, quam colo, & pro dignitate loci, quem teneo, illud hodie probandum aggrediar; Theologos, acerrimos illos de Fide Disputatores, integerrimæ, absolutissimæque Fidei Viros esse; qui cum ceteros, quæ credenda sint, doceant, ceteris religiosius, ac firmius credunt. Ita fiet, ut, quæ nobis in Disciplina tradita est, florentissima Pubes, arctius sese nobis addicat; & ad eam, quam modo suscipimus de Divina Fide, Tractationem, studium suum omne & labentius, & vehementius adjungat.

Rem faciam Viro Theologo maxime congruentem, si Theologorum causam orans, iis præsertim Momentis egero, quæ in Theologica Disciplina prima sunt: quæ nimirum ex ipsa petuntur Fidei Definitione, quæ illius & naturam, & dotes, & causas, & conditiones exponunt. Sic sane brevi compendio planum fiet quantum Fide ceteris præsent Theologi, qui nullius præ ceteris Fidei dicuntur.

Quid itaque Fides est? Fides, inquam, non languida, non vacillans, ac pene mortua; sed quæ Theologicae Virtutis dignitatem, ac nomen habet? Scilicet firmus est Mentis assensus Divinis Veritatibus præstitus ob Dei revelantis Testimonium, nobis ab ejus Ecclesia propositum; assensus, inquam, est ex pia profectus Voluntatis motione Mentem ad assentiendum inclinante, vis exploratque externis Rationibus, & Momentis, quæ sacra Mytheria perhibent Fide digna. Quæ Fidei definitione universa, quæ ad ejus naturam, perfectionemque pertinent, continentur. Firmus imprimis assensus Veritatibus præstitus; qui actus ipse Fidei est: cum, Divinum Testimonium; quod vera, propriaque nobis est credendi Ratio: tertio, facta ab Ecclesia Divini Testimonii

denunciatio; ne forte testimonium Humanum pro Divino accipiamus; quarto, pius Voluntatis motus Mentem ad assentiendum inclinans; qua parte Christianorum Fides, ut loquitur Augustinus *epist.* 194. ad Sixtum, a Daemonum Fide distinguitur. Postremo, Rationem, Momentorumque notitia, quibus Christianæ Religionis Mytheria Fide dignissima cognoscuntur, ne temere, imprudenterque iisdem assentiiri videamur. Porro iis in omnibus, quibus vera fiat Fides, Theologos vincere, ac longo intervallo ceteros omnes superare, palam ostendo; tantum ne piget ire per singula.

Ac primo quidem: firmus ille Mentis assensus, Divinis Veritatibus dandus, quid cuassæ putaris esse, cur sæpe non detur? Cur nutet Fidelis, cur titubet, cur vacillet, qui contra certus, constans, immotus pro Fidei conditione debet esse? Nempe si bene consicio, nrat, quod contrariis Rationibus moveatur, obsequisse in oppositum difficultatibus occupetur, ac pene vincatur. Hinc illa tot Fidelium in multis Fidei Capitibus hæsitatio, dubitatio, instabilitas. Legit quis E. G. Sacris in Litteris, Deum Trinum, & Unum; enixam Virginem Matrem; Deum Hominem factum; Christi Corpus Sacris Eucharistiæ Speciebus contentum: idque sibi assensu, & quidem firmo, atque constanti tenendum novit, si vult esse Catholicus, uti debet: at ecce (quæ humanae Mentis infirmitas est) petitis ex adverso a Natura rationibus pulsatur, & quatitur. Quid Deus, ait secum ipse, Natura unus, Persona trinus esse potest, si re ipsa quidem non aliud in Deo Persona est, quam Natura? Quid Virgo Mater Filium enixa, cum nulla possit esse, nisi delibata Virginitate fecunditas? Quid Deus factus pro Hominibus Homo, cui absque sui mutatione altera Natura nequit accedere? Quid Christi Corpus Humanum angustis speciebus conclusum, cujus extensa quantitas est? Quas ille miser arguitas ut solvere nequit, ita fluctuat in incerto, labascit, pendet animo, dubius hæret, quid demum credat incertus est; nulliusque jam, aut saltém nutantis, ac lubricæ Fidei sit, qui assensionis firmitate, constantia destituitur, atque spoliatur. Non ita profecto Vir Theologus. Hic siquidem qua facilitate pugnantem ex opposito Rationes occupat, Objecta diluit, Difficultates extricat, solvitque Nodos; pari firmitate Veritatibus revelatis adhæret: nulloque jam obice, quominus assentiatur, dimoveretur, ac retardatur. Non modo quid credat; sed & cur credat; quibus Titulis, quibusve Momentis credat apprimere novit; paratus rationem omni poscenti reddere eorum, quæ Fide tener; tamque abest, ut Oppugnationibus cedat, ut potius Oppugnantem repellat, & Veritatis viribus vincat; sæpe etiam ad sanam Mentem revocat, ducatque in viam qui a recta semita defecerunt.

Accedit in Fidei Notione Divinum Testimonium, quod ita Fidelibus universis credendi Ratio est, ut Theologis tamen majoris firmitatis in Fide, atque constantiæ causa sit. Quorsum enim Dei verbo res tam multas supra Naturæ ordinem, supra Mentis humanæ captum, supra Sensum contestanti integram Fidem adjungimus? Quorsum Dicitis ejus credimus potius, quam Sensibus nostris? Ob id certe, quod Deum mentiri non posse certo noverimus; quod perspecta, explorataque res nobis sit, nec falli illum, nec fallere posse. Quæ de re si vel dubium moveatur, totum ruit Christianæ Fidei Fundamentum. Quantum autem eo in Capite ceteros Theologi vincant; quam sint Illi de Divini Testimonii veracitate, indeficientia, reliquis omnibus certiores, nemo non vi-

der, nisi qui meridiana in luce cæcutiat. Si enim a simplici Fidei, ac Theologicae Disciplinae plane rudi quaesierim ego: unde tu nosti, Deum mentiri non posse, non falli illum, neque fallere? (Nam & hoc voluere olim Manichæi, voluere Priscillianistæ) Reponet Ille, si sapit, id sibi constare, quod ita Deus ipse Sacris in Litteris revelavit. *Numer.* 23. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur: ad Rom.* 3. *Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax: ad Hebræos* 6. *Impossibile est mentiri Deum; atque ita alibi sæpe.* Recte id quidem, ac plusquam a Viro rei Theologicae plane rudi expectare possum. Verum, si forte subjuxerim ego: Næ tu, misere, falleris, ponisque, quod quaritur, qui Deum veracem probas, quod se ipsum veracem dicat sacris in Litteris; cum id potius ostendere debeas, non mentiri illum, dum ita dicit. Nam & hoc mendacibus vitium est, ut mentiri se negat, cum maxime mentiuntur. Tunc Ille, velut icu percussus, incertusque hæret, fluctuat animo, accipiti- que cogitatione distractus de ipsa Dei veracitate, quæ primum Fidei nostræ Fundamentum est, incipit dubitare. Theologus longe aliter: qui, mis- sa etiam Sacrarum Scripturarum testificatione, Dei veracitatem exploratissimam habet; Deumque nec falli, nec fallere posse, petitis ex ipsa illius Natura rationibus, probat: imo nec fore Deum ostendit, si quemquam aut verbo decipere, aut facto potis esset. Quod Viro Theologo potissimum est Fidei firmamentum; quo vel uno, estis alia multa deficerent, ceteris Fidelibus antecellit.

Sequitur proxime in Fidei Definitione facta ab Ecclesia Divini Testimonii, rerumque credendarum publica denunciatio, ad Fidei certitudinem usque adeo desiderata, ut dicere non dubitaverit Augustinus *Lib. contra Epist. Manichæi cap.* 5. non crediturum se Evangelio, nisi cum Ecclesiæ commoveret Auctoritas. Quæ in re, Ecclesiæ nempe denunciatione, quam sæpe luditur prophatum vulgus, lusumque turpiter Fidei speciem tenet, & umbram, non Fidem ipsam; tam raro fallitur Theologus, ut Fidei integritatem teneat incorruptam. Sic, ut esse potest, in Paræcia ignarus Curio, in Diocesi inductus Episcopus; qui in publicis Christianæ Religionis Institutionibus, quas Catechismos de more dicunt, aut etiam in Pastoralibus Documentis, atque Mandatis Errorum obtrudat aliquem, tanquam a Deo Sacris in Litteris revelatum, certaque ab omnibus Fide tenendum; quotquot in Diocesi Theologica Professione non erunt, ut insinuarum Errorum deprehendant, ignari Pastoris vocem, tanquam Ecclesiæ vocem excipiant. Unus enim Episcopus, unus Curio tota rudibus illis Ecclesiæ est; cujus ni vocem audierint, tanquam Ethnici, & Publicani sunt habendi: atque ita frillatum ab ignaro Pastore Errorum imbibent animo, credentque Divina quidem, ut illis videbitur, Fide; re ipsa tamen humana duntaxat credulitate, imo potius aberratione. Nullis hujusmodi periculis patet Theologi Fides; qui quam certo novit, id sibi duntaxat esse Fide credendum, quod ab Ecclesiâ proponitur, ut credatur; ita quæ vera sit Ecclesiæ vox falli, & fallere nescia, probe dijudicat. Non illi unus Curio, non unus Episcopus totius Ecclesiæ loco est, cujus Dicta & Pronunciata, tanquam indeficientis Fidei Oraculum excipiat; sed Concilia Œcumenica, sed Pontifices Summi & Tribunali pronunciantes, iisque servatis Judicii Formulæ, quæ illos Petri lingua locutos ostendant. Hæc Viro Theologo certa Ecclesiæ vox est, quam audiat, quam sequatur, ubi quaestio Fidei vertitur: hoc illi certum Oraculum, a quo quid sit

fit a Deo revelatum, quid credendum citra Erroris periculum novit; nullique idcirco discrimini committitur Theologi Fides, ne hominum formia pro sacris Fidei arcanis misere confectetur: neve id omne imprudenter excipiat, quod stulta Anus, ac lippus Senex, quod Tabernarius, & Caprimungus, totumque prophanum Vulgus fallaci Pastoris voce, inanique superstitione delusum avidi bibit aure, colitque religione summa, ac reverentii obsequio.

Jam quid pium Voluntatis motum loquar, in Fidei definitione notatum, quo credentis Animus ad assentiendum inducitur; ut Fides libera sit, non coacta; fructuosa, non sterilis; præmio digna, non vacua laudis, & gloria? Quam multis inde titulis Theologorum Fides eminere perhibetur? certe pium illam Voluntatis motum ad Fidem necessarium idcirco probat Doctor Angelicus, quod humana Mens, nisi rerum evidentiæ moveatur, assensum se ipsa veritati non præstet. Quare cum nulla Veritatum Fides, nulla Divinæ Revelationis evidentiæ sit, is Mens nostra ex Voluntatis imperio assentiatur oportet, quæ se ipsa assentiri minime potest. Illud porro imperium tribus præsertim modis Voluntas exercet: primo, Intellectum inducens, ut in generales credendi Rationes (quas *materna credibilitatis* Schola nuncupat) diligenter intendat; quibus liquet, absurda non esse, imo Fide dignissima, quæ a Deo Sacris in Litteris revelantur: Secundo, Intellectum ab eorum Rationum consideratione avertendo, quæ Fidei assensum impediunt, aut morari utcumque possent: Tertio, Intellectus persuasionem de Fidei Articulis approbando; atque in ea sibi complacendo. Hæc vero tria ubi felicitis, excellentiusque inventas, quam in Theologo? Non id ille satis habet (ut aliis satis est) communes credendi Rationes, quæ Christianam Religionem Fide dignissimam faciunt, attentius meditari (mirificam illam Evangelii propagationem, Christi prodigia & Apostolorum, triumphales Martyrum agones, incorruptam Doctrinæ Evangelicæ integritatem, certam Sæculorum omnium consensionem, cæteraque id genus; quorum sola consideratione fovetur Fides, nutriturque) sed has ipsas Rationes ex muneris sui Instituto, adversus publicos Ecclesiæ Hostes tota virium contentione defendit. Non id ille satis habet, Mentem ab eorum Rationum consideratione avertere, quæ Fidei assensum inædipere, aut retardare utcumque possent; sed has ipsas potius Rationes, occupat, refellit, falsi convincit, nihilque evincere probat, quod Fidei damno esse possit. Non id demum satis habet, hanc ipsam Intellectus persuasionem, de veritate Articulorum Fidei approbare, atque in ea delectari; sed & Animum ad eos amplectendos Articulos submississe, tanquam da parta victoria, gloriatur.

Quis ergo Theologos integerrime, absolutissimæque Fidei Viros neget? Qui potius, quavis ex parte rem spesces, longe multumque cæteris Fidelibus antecedunt. Ego certe contra sic statuo: Fidem in Deum, eamque puram, illibatam, & integram ita esse Viri Theologi propriam, ut qui Fide purus, integerque non fuerit, Theologus omnino esse non possit, etsi forte in Hominum oculis magni ferat nominis umbram. Quæ enim, rogo vos, Theologiæ Principia sunt, quæ totum Sacra Doctrinæ corpus incumbit? Quæ prima illius Elementa, e quibus, velunt e primis Fontibus, Conclusiones derivantur? Nempe Articuli Fidei: sic enim statunt universi. Qualis ergo Theologus ille fuerit, qui ne prima quidem teneat Theologiæ Elementa, atque Principia? Quid ipsa est Theologia; Judice Augustino, nisi

scientia, qua Fides nutritur, defenditur, roboratur? Sic enim ille *Lib. 14. de Trinitate cap. 1.* Ecquis itaque Fidei nutritus ille foret, atque defensor, qui defensor potius, & impugnator habendus esset; si talis utique foret, qualem nominis nostri Obtréfactores improbe criminantur. Imo ubi Theologiæ excellentiam, & dignitatem supra cæteras Diiciplinas observo, parum est, ut affirmem, non Fidei tantum, sed & morum integritatem, innocentiam, probitatem cum Theologorum Officio, & Instituto ita esse conjunctas, ut frustra Theologi nomine glorietur, qui probus, religiosusque non fuerit. Est enim Theologia (ut non ita pridem a summo Oratore observatum est) in vehementi quadam altissimarum rerum contemplatione posita, quæ Hominem totum occupat, absorbet, & a terra quodammodo abripit; nec ullam ejus partem avelli patitur, ut in Viriorum sordibus tam dispari studio volutetur. Hoc sibi illa proprium vindicari supra reliquas disciplinas ob inñitum medicandi vim, ut nequeat inesse, nisi illis, qui a rebus cæteris alienissimum sint. Ac, si lubet Ecclesiæ Fastos excurrere, plures ego tibi Theologos ostendam, qui Templis, Arque coluntur, quam tu ex omni Republica Litteraria Rhetores, Philosophos, Jurisperitos, Medicos, Mathematicos dabis; visque tu mihi unum, aut alterum ex tota Antiquitate recitabis tam gravi dignum nomine, ut Theologus appelletur, quia insigni virtute excelleret, suamque sapientiam probitatis accessione confirmaret.

Sed videamus, amabo vos, a quibus, & quorsum tetra illa Divinæ Scientiæ Professoribus Calumnia intenditur, ut Fidei nullius, nullius Religionis dicantur esse. Spero fore, ut vel hoc ipso tetra sycophantiæ tenebræ depellantur; illudque Tertulliani haud ab simili occasione pronunciatum usurpare nobis aliquando liceat: *Criminatio vestra, gloria nostra est; diu culpamur a vobis, securius absolvimur.* Ille scilicet narrantis, ac lubricæ Fidei Theologos arguit, qui quod Catholica Fides habet, quod credendi Leges ferunt, primi omnium ignorant: quæ Fidei Questiones in Ecclesia sint; quæ præter Fidem, plane nesciunt: Quodque dolendum magis, Fidei integritatem nullo populari errore vitiatam; illudque superstitionem admixtam, nulla anili tabella corruptam, Fidei corrumptam, ac violationem appellant, idque si superis placet, in Divinæ Scientiæ Professoribus damnant, quod in illis est summe laudandum. Si quid enim contra præjudicatas Vulgi Opiniones sentiat, scribatque Theologus, Erroris notam ignari isti Censores affingunt. In questionibus adiphoris, quæ Fidem, qua Christiani sumus, nulla ratione contingunt, sed ad Historiam, vel Criticem spectant unice, de Theologorum Orthodoxia velut e Tribunali Sententiam dicunt; non ex Sacris Litteris, quas legere nunquam; non ex Conciliorum Canonibus, quos ignorant; non ex Patribus, quorum Codices ne voluerunt quidem; sed vel ex Libellis a Sciolis, simplicibusque sub pietatis specie elucubatis; vel ex male natis ab obscuris parentibus, atque derivatis in Vulgum ridiculis Traditionibus; vel ex tabellis Piclorum arbitrio depictis, quæ omnia Bibliothecæ loco illis sunt, judicium proferunt.

En quos Theologi Fidei sæ Censores passim experiuntur; quos certe nonnulli, tametsi possent, commendatores, ac laudatores habere. Felices artes, ajebat ille, si de iis soli Artifices judicarent. Felices Theologi, inquit ego, si de illorum Religione, ac Fide ii soli judicium facerent, qui vel prima tenerent Theologiæ rudimenta: ut hoc saltem scirent, unum Dei Ver-

bum scriptum, traditumve primam Fidei naturæ Regulam esse; cui nisi quis adverteret aperte, violatæ Fidei postulari non potest: tamque in Fidem peccare, qui, quod Fidei non est, hoc dicit esse; quam qui negat esse, quod est de Fide.

Audiamus tamen, si qui forte sint paulo indulgentiores Theologorum Fidei Prehenses, Theologi, inquit aliqui, continua illa Divinarum rerum meditatione, assidua contemplatione, tractatione diuturna eo demum deveniunt, ut Religionem ipsam ingenio metiantur suo, nihilque credere velint, nisi quod naturali intelligentia assequuntur, probantque ratione difera. Ita ne vero? Cedo, si sic est: Theologos tibi dono nulla Fide, ac Religione Viros si verum objicis. At qui quæso illi sunt, qui quod illis assignis, illud velint, sentiantque; quod contra & velle, & sentire omnino non possunt, nisi Theologi esse desierint. Ecquid enim tam tritum in Scholis, tam concordi afferatione receptum, quam non posse humanam mentem, ac ne quidem Angelicam, Christianæ Religionis Mysteria naturali cognitione percipere, unumque Mortalibus superesse Divinæ Revelationis Lumen, cujus beneficio cognoscatur. Imo, si quæ Fidei Præambula ratione naturali Theologus novit, quæ cæteri non nisi Divinæ Revelatione cognoscunt; ut *Deum esse summum rerum omnium Provisorem; Sapientem; æternum; bonum; ac justum; præmia bonis, supplicia malis decernentem;* sic est affectus animo Theologus, ut hæc perinde Fidei crederet, si minus ratione teneret; ut ne ea quidem ex parte Fidei merito defraudetur: in eum fere modum, quo Apostoli Christi Domini convicti, & contubernio usi multa ejusdem Mysteria, quæ non nisi Fide tenemus, Sensuum experimento cognoscebant; nec tamen nullo erant Fidei merito; quod sic essent Animo comparati; ut hæc Fidei perciperent, nisi sensuum experimento comprobassent.

Quamquam quid ajo, nullo Theologos fraudari Fidei merito, si quas forte Virtutes Deo tributas naturali ratione percipiunt? Illud nihil dubitem addere, majori cæteris virtute, ac merito Theologos esse, ubi id quoque tenent Fide, quod tenent Alii. Nec satis imprudens quorundam judicium ferre possum, qui imperitæ multitudinis Fidem, qua Deo, Christoque serviunt, summorum Virorum Fide Cælo digniorem arbitrantur. Si in eo enim stat Divinæ Fidei meritum, quod objecto sensuum testimonio, adhuc etiam sepulto Ingenii acumine, mentem quis Dei Verbo subijciat, ipsumque Intellectum, ut loquitur Apostolus 2. *Cor. cap. 10.* in captivitate redigat in obsequium Christi; an non majoris virtutis, meritorique erit, ingentem Animum siederibus inferendam, altum ac sublime Ingenium omni eruditione excultum, ac perpolitum sub jugum mittere, suisque veluti luminibus radiisque exuere, ut Fidei, Deique verbo cæca assensione obediat; quam viles, curvasque Animas, fruges consumere natas, quibus nulla Ingenii vis est, nullum acumen, quod illis exuere opus sit, ut Fidei obsequantur?

Sed caret saltem, inquit aliquis, Theologorum Fides ea simplicitate, quæ in viris de Plebe tantopere commendatur; imo & peccant Theologi bene multi, quod Plebeculam ab ea Fidei simplicitate conentur abducere. Ita ne Censor egregie de Fidei simplicitate stulte differis, ut nescias, quid id nominis sonet; ipsamque superstitionem, quæ peccatum est contra Fidem, pro Fidei simplicitate ignoranter accipias? Audi ergo quid Fidei simplicitas sit, ut vel hinc noveris, an ea

Theologi careant, an eam in infima Plebe Theologi culpent: *Dicendum, inquit Doctor Angelicus 2. 2. quæst. 1. art. 1. in corp. quod cujuslibet cognoscitvi Habitibus Objectum duo habet; scilicet id, quod materialiter cognoscitur, quod est sicut materiale Objectum, & id per quod cognoscitur, quod est formalis ratio Objecti. . . . Sic igitur in Fide, si consideremus formalem rationem Objecti, nihil est aliud, quam Veritas prima. Non enim Fides, de qua loquimur, essentia alicui, nisi quod est a Deo revelatum. Unde ipsi Veritati Divinæ Fides immititur, tanquam medio. Sicut ergo aurum simplex vocatur, cui nihil alienæ materiæ, nihil fuci admixtum est; ita fidem simplicem dicimus, cui nihil vel veritati, quæ creditur, vel Divinæ revelationi, propter quam creditur, admiscetur alienum, nihil fuci additur, atque pigmenti: nempe si id tantum creditur, quod re ipsa Fide credendum est, & ea tantum ratione creditur, quia a Deo est revelatum. Porro nemo verus Theologo Viro id tantum credit, quod re ipsa credendum est, nemo verius ob solam credit Revelationem Divinam, quæ sola fuci omnis expers est, atque fallacia. Nemo itaque verius, nemo certius simplicitatem Fidei tenet Theologo Viro; si, quid Fidei simplicitas sit, probe noverimus.*

Quæ autem in infima Plebe eo cohonestatur nomine, eoque titulo a nonnullis inepte laudatur, non fidei simplicitas est, sed vana, & stolidi superstitionis, Vitium contra Fidem ex directo pugnant; dum ea veluti Fide credit, quæ a Deo revelata non sunt, ut credantur; sed pro arbitrio, pro nutu finguntur: stultumque est, ne dicam impium, quod nonnulli de gravi superstitione, ac veluti Dictatoria Auctoritate pronunciant; expeditere, ut in hac sua simplicitate vanaque credulitate infima Plebs relinquatur. Quasi vero expedire aliquando possit, ut in peccato contra Fidem, cujusmodi superstitionis est, aliqui relinquuntur. Quod tamen non est ita a me dictum, quasi Populi fœcem de iis etiam edocum esse velim, quæ sunt præter Fidei Canonem. Abit. Imo quæcumque sunt adiphora, seu teneat infima multitudo, seu rejiciat, seu etiam profus ignoret, nihil plane referre, probe novimus: at illud interest maxime pronunciamus, ut si hæc ipsa rejicit, non rejiciat ut hæretica; si tenet, non tenet ut Fidei Capita: hoc enim est, quod in superstitionem degenerare contendimus quorquod veri nominis Theologi sumus. Patiantur itaque Animarum Rectores, prophanum Vulgus curæ suæ commissum in rerum, quæ sunt præter Fidei Canonem, profunda ignoratione versari: per nos licet, at superstitione in rebus hujusmodi laborare vel ipsam Populi fœcem, hominumque Commenta, tanquam Fidei Capita tenere, colere, venerari, nemo, qui salutem illius æternam curaverit, utique patietur.

Definant igitur æmuli Obtréfactores Theologis maligne obtréperere; nec ultra Viros dicentur dubia, nutanti, ac lubrica Fide; quos contra liquet, absolutissimæ integerrimæque Fidei Viros esse, Fideique merito cæteros vincere. Quamquam, etsi conviciari pergant, toriusque Theologi Ordinis famam vulgari illo convicio atterere; stabimus nihilominus in incepto, nec ab institutis Theologiæ studiis avocabimur. Magni Augustini consilium securi sidera imitabimur; quæ Hominum conviciis toties impetita nec de via decedunt, nec cursum reprimunt, nec a profundendo in ipsos conviciatores salutari effluvio retardantur. Nos communi illo in Theologos facto convicio nihil moti; quam institutum, viam tenere pergemus. De Fide, ut capimus, dicemus in

in hisce Theologicis Tractationibus, etsi forte parum in præsentia dicendo profecimus; nostramque operam in instituta Juventute desiderari, minime patiemur.

Illud tantum Juvenes optimos moneo, qui se nobis in disciplinam tradidere, ut si unquam alias, in hac maxime Theologiæ parte addiscenda, D. Thomæ discipuli esse ambiant: Thomæ, inquam, non Apostoli, sed Angelici. Thomas enim Apostolus creditur quia vidit, ac ni videret, credere noluit; quod Theologis vitium maligne, ut au-

distis, objicitur: Thomas Angelicus e contrario credendum nunc docet, ut videamus] aliquando: ut videlicet per Fidei obscuritatem, quæ Viatorum conditio est, perveniamus ad Patriæ claritatem. In sequenti de Fide ipsa disputationem ordiemur, ac primo quidem de Fidei Qualitatibus, Certitudine, & Obscuritate, sermonem instituemus; tum de ejus Necessitate; subinde de Symbolis: de Fidei Regulis, Scriptura, & Traditione.

DISPUTATIO PRIMA.

De Fidei Divinæ Certitudine, Obscuritate, atque Necessitate.

PRÆLECTIO I.

Non posse Fidei subesse falsum ex parte Dei revelantis, demonstratur: & Manichæorum, Priscillianistarumque momentis occurritur.

DE Fide Divina, qua nos Christiani a Judæis, Mahumetanis, Idololâtris, ac etiam Hæreticis, & nostræ ætatis Schismaticis Græcis, quorum Fides diuturno schismate perit, ceterisque scelerum, Disputationem hodierna luce auspiciaturus, ea loco primo expendenda esse, atque explicanda censeo, quæ intimius ad fidem attinent, quæque cæterorum, quæ dicenda veniunt, veluti fundamentum, & basis considerantur. Cum porro binæ sint intimæ, ac potissimæ Fidei nostræ qualitates, quibus tanquam Essentia suæ partibus constat, Certitudo videlicet, & Obscuritas; illa quidem, qua ab errore, & Opinatione distinguitur; ista, qua a Scientia discriminatur; idcirco, ut facilius Fidei Naturam exponant Theologi, eas sub ipsum statim susceptæ humanæ Tractationis initium Quæstiones agitare solent, quæ in illa Certitudine, & Obscuritate explicanda versantur. Quo in ordine ea omnium prima ad crismum Quæstio venit, quæ Princeps est cæterarum, ac totius, ut ita dicam, Christianæ Fidei fundamentum: nimirum tanta ne sit Divinæ Fidei certitudo, ut illi falsum subesse nunquam possit?

Quia porro falsum subesse Fidei, alterutra via contingeret, si fieri res ipsa posset, aut ex parte Dei, cujus Revelatione Fides innititur; si nimirum falsum aliquid Homini revelaret, ac diceret; aut ex parte credentis Hominis; si forte Divina Fide crederet, quidpiam esse revelatum a Deo, quod re ipsa revelatum non esset; imo quod alias constaret, esse falsissimum; idcirco priorem celeberrimæ Controversiæ partem expediemus loco primo, quæremusque, possitne Deus falsum aliquid dicere, ac revelare; ut vel hoc pacto ex parte revelantis Dei falsum Fidei subsit. De parte Quæstionis altera in sequentibus disputabimus.

Quæstionem de Dei mendacitate moverunt primi omnium Manichæi III. & IV. Ecclesiæ scæculo; qui uti Deum sua ipsius Natura malum blasphemabant; ita & illum fallacem, atque mendacem effutiebant; qui de industria Homines deciperet verbo, falleretque. Qua de causa totum vetus Testamentum, tanquam a Deo Natura sua malo, atque Mendaci, Patriarchis, atque Pro-

phetis dictatum repudiabant. Hos non longo fecuti sunt intervallo Priscillianistæ; etsi aliam inducendi, tuendique Erroris viam ingressi sint. Nempe, cum Mendacium rem plane honestam, & licitam esse contenderent, ut spiritum illum Errorem suum Dei ipsius Auctoritate, atque Exemplo confirmarent, Deum Sacris in Litteris sæpius mentium effutiebant. Quocirca lepide Augustinus Lib. cont. Mendacium cap. 2. Nec se aliter, inquit, arbitrans (Priscillianistæ) veracem suam ostendere falsitatem, nisi Veritatem dicant esse Mendacem.

Ad eum Manichæorum, & Priscillianistarum Errorem de Deo mendaci, atque fallaci confutandum (quod Officii nostri est) miror, Theologos ferme omnes Divinarum Scripturarum Auctoritate uti, Sacrificque Oraculis implere paginas, quibus contestatur Deus, aut, qui Dei vice, & afflatu loquuntur, Apostoli, & Prophetæ, nec re ipsa Deum esse unquam mentium, nec mentiri ullo modo posse; Numerorum 23. Non est Deus quasi Homo, ut mentitur: ad Rom. 3. Est autem Deus verax, omnis autem Homo mendax: ad Hebræos 6. Impossibile est mentiri Deum: ad Titum 1. In spem vite æternæ, quam promisit, qui non mentitur, Deus: Joannis 8. Qui me misit (Deus) verax est: & alia id genus pene sexcenta, quæ Sacris in Libris passim occurrunt. Quorsum ista quæso ad Manichæos debellandos congeruntur; cum si Deum in Scripturis sæpe mentium contenderent, Erroremque suum hoc ipso in Capite constituerent? Reponat quippe juxta Sententiæ suæ Principia, tunc maxime mentium esse Deum Sacris in Litteris, dum severacem professus est, qui mentiri omnino non possit. Est enim hoc Mendacium familiare, ut mentiri se negent, dum maxime mentiuntur. Quare cum id Erroris hujus conditio faciat, ut Sacrarum Scripturarum Auctoritate refelli non possit, ne Principium, disputando, ut iniquiunt Dialectici, petere videamur; (quod vitandum in arte Syllogistica Vitium est omnium maximum) id unum reliquum nobis est, ut eundem Errorem naturali ratione refellamus; cui certe nuncium mittere Manichæi non possunt, nisi Homines esse deseriant. Id porro paucis exequimur, mutuatis ex D. Thoma Philosophicis Rationibus Lib. I. contra Gentes capp. 60. 61. 62.

Deus ex ipsa sui Natura, ac juxta eam, quam sibi quisque de Illo proponit ideam, est summum, & primum Ens: igitur est summa, & prima Veritas:

ritas: repugnat autem Veritatem primam, ac summam mentiri: sic enim a se ipsa recederet, deseriretque esse, quod est: eo plane modo, quo Deus prima, & summa bonitas esse desineret; si forte peccare posset, malique moralis quidpiam admittere. Ad hæc accedit, quod Dei nomine, sola Philosophia duce, Ens aliquod intelligimus, quo melius, ac perfectius excogitari nihil potest: eo autem, qui mentitur, excogitari quid melius certe potest; qui nempe meatur numquam. Quisquis enim mentitur, aut mentitur falsus ipse, atque delusus; quod nempe rem falso apprehensam falso etiam enunciat; ut mentitur sciens, ac volens; quod rem probe quidem apprehensam aliter quam apprehenderit aliis nunciat decipiendi utique causa, atque fallendi. Si delusus ipse, falsusque mentitur, imperfectio profecto illius est, quod fallatur: si sciens volensque mentitur, rem aliter narrans, quam re ipsa noverit esse, imperfectio quoque est; quod vox ejus ab eisdem mente dissentiat; cujus tamen signum dicitur esse. Quocumque ergo modo res cadat, in vitio Mendax est.

Constat illud idem ex natura, & conditione Mendacii. Mendacium enim aut ex ignorantia nascitur, aut ex malitia, aut ex infirmitate. Ex ignorantia quidem, si rem ipsam ignorans aliquis eandem narrat ignoranter, & falso: ex malitia vero, si rem apprise sciens, narret tamen aliter, ut decipiat: ex infirmitate tandem, si narret aliter, ut excuset; quod Pueris, Mulieribusque familiare est. Primum Divinæ Scientiæ repugnat, alterum Sanctitati, tertium Omnipotentia.

Quibus Momentis a Philosophia naturali petitis, aliisque longe multis, quæ isthuc advocare facile esset, refutata perinde manet quorundam Theologorum absurda, ut mitius loquar, aberratio; Gabrielis, Holcot, Aliacensis, Adami; qui Deum nunquam quidem mentium dicunt, imo nec de Lege Ordinaria, ut loquuntur, mentiri posse fatentur; de Lege tamen extraordinaria mentiri posse contendunt. Quasi vero posset Deus de Lege extraordinaria Natura exui sua, ut jam Deus desinat esse; desereret vero, si posset ullo modo mentiri, ut ostendimus: desereret enim summa, ac prima Veritas esse.

Miror sane, Viros, alias eruditos, in tam apertum Errorem labi potuisse; quo posito, totum ruat necesse est Fidei nostræ Fundamentum. Si enim absolute, ac de Lege extraordinaria (ut loquuntur) mentiri posset Deus, quis sciat, an illa sua mentiendi extraordinaria potestate sit usus, dum Fidei Mytheria Ecclesiæ suæ revelavit? De iis itaque certi omnino esse nunquam possemus. Nec vero Difficultatem effugient Theologi illi, si forte reponant, Deum, etsi mentiri absolute possit, id tamen revelasse, numquam se re ipsa esse mentium. Namque & hoc queram ego: unde sciemus, Deum tunc saltem sua illa extraordinaria mentiendi potestate usum non esse, dum Sacris in Litteris dixit, se nunquam re ipsa esse mentium? Non igitur laqueum effugient Theologi illi.

Certe Sacra Littera (quarum suffragia in Priscillianistas, & Manichæos contorquere inutile est; quandoquidem Deum re ipsa Sacris in Litteris mentium contendent) Theologorum istorum Deum extraordinaria saltem lege mentiri posse contententium aberrationem aperte revincunt. Dum enim E. G. Numer. 23. dicitur: Non est Deus, quasi homo, ut mentitur: & Rom. 3. Est autem Deus verax; omnis autem homo mendax: utriusque Nature, Divinæ scilicet, & Humanæ discrimen in eo constituitur, quod

Scilicet Tom. IV.

sicut absolute mentiri potest Homo, ita ex adverso mentiri absolute non possit Deus. Si enim de actu mentiendi, deque Lege extraordinaria tantum sermo tunc esset, non de absoluta mentiendi potestate, frustra Divinam inter, & Humanam Naturam discrimen hujusmodi poneretur: cum multi excellentis virtutis sint, aut certe esse possint, qui nunquam re ipsa mentiantur. Non absimiliter, dum ad Hebræos cap. 6. ait Apostolus, Impossibile est, mentiri Deum, prægravem illam consecutionem intulit; ut nimirum in Divinis Promissionibus firmissimum solatium habeamus: porro firmissimum in Divinis Promissionibus solatium neutiquam haberemus, si absolute, ac de Lege extraordinaria Mentiri Deus posset: anxii enim perpetuo essemus, ac dubii, num promittendo mentitus esset; asserendo scilicet id se facturum esse pro nobis, quod in animo non habebat, ut faceret. Nec nostram istam dubitationem, atque anxietatem fortassis auferret, quod dixerit Deus, se, promittendo nunquam reapse mentiri: quandoquidem, num id ipsum dicendo mentitus fuerit, dubitare jure possemus, si absolute, Legeque, ut ajunt, extraordinaria aliquando mentiri posset. Tota ergo formula cadunt Theologi illi.

His addiderim Ecclesiæ Patres, quorum Suffragia in Priscillianistas, & Manichæos regerere futile est, hanc eandem Theologorum illorum aberrationem ab imo suffodisse. In id enim consentiunt ferme omnes, Deum nec Omnipotentem, nec Sapientem, imo nec Deum fore, si mentiri ullo modo posset. Ita D. Ambrosius epist. 50. Numquidnam mentitur Deus? Sed non mentitur, quia impossibile est mentiri. . . . Impossibile istud non infirmitatis est, sed Virtutis, & Majestatis; quia veritas non recipit mendacium, nec Dei Virtus levitatis errorem: S. Athanasius de Incarnat. Verbi Dei (Tom. I. pag. 58. circa finem) Absurdum enim, Deum in suis verbis mentiri. . . . Non enim verus Deus fuisset, si, cum dixisset nos perituros, non perissemus. Anselmus Lib. I. Cur Deus Homo cap. 12. Non enim sequitur, si Deus vult mentiri, justum esse mentiri; sed potius Deum illum non esse. Unius Augustini vice omnium verba dabo. Sermo 1. de Symbolo ad Catechumenos cap. I. ubi sic habet: Deus omnipotens est: & cum sit omnipotens mori non potest, falli non potest, mentiri non potest. . . . Nam si mori posset, non esset omnipotens: si mentiri, si falli, si fallere, si inique agere, non esset omnipotens: quia si hoc in eo esset, non fuisset dignus, qui esset omnipotens. Cujus quidem Augustiniani Oraculi rationem pro more Scholæ assignat Doctor Angelicus Lectione 2. super Caput 2. Epist. 2. ad Timotheum: Possit enim desicere magis est pertinens ad impotentiam; quia quod aliquid deficiat a suo esse, est per debilitatem virtutis propria. Qua itaque ratione fieri poterit, ut Deus de Lege extraordinaria mentiantur? Cum Lege nulla fieri possit, ut desinat esse Omnipotens, imo ut desinat esse Deus.

Verum quia, Judice Augustino, nihil est tam firmis Momentis assertum, & confirmatum, quod, si adit ingenium, impugnari non possit, videntur quid contra supremam Dei Veracitatem Priscillianistæ, & Manichæi ex Sacris Litteris proferebant: tum quid memorati Theologi misere corraserint, ut suum illud perabundum Systema cohonestarent, refellemus.

Immentus profecto sim, si velim cuncta refellere, quæ Priscillianistæ, & Manichæi ex Sacris Litteris congerebant, ut Deum fallacem, atque mendacem ostenderent; qui Homines re ipsa decipiat, & in errorem inducat. Graviora ad duo summa Capita revocabo; ex quorum solu-

H h tio-

tione, quid reliquis reponendum sit, innotelet.

Primo itaque loco ea Scripturarum Oracula congregabant, ubi Deus Homines decipere, in errorem inducere, in reprobum sensum tradere dicitur; ut 3. Regum cap. 22. cum quaereret Deus; Quis decipiet Achab Regem Israel? Prodiit Spiritus nequam, qui suscepit, id se facturum, decipiendo Prophetas ejus: Ero, inquit, Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus: quod utique probavit Deus, fierique mandavit, subjungens: Decipies, & praevalabis; egredere, & fac ita. In quod intendens Michaeas Propheta, eodem capite. Ecce, inquit, dedit Dominus Spiritum mendacium in ore omnium Prophetarum tuorum, qui hic sunt. Non abimiliter Job Cap. 12. de Impiis generatim dicitur: Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet (Dominus) quasi ebrios. Isaia quoque cap. 63. Quare errare nos fecisti Domine de visis tuis: Indurasti cor nostrum, ne timeamus te? Quod quidem de falsis Prophetis est dictum, quod Deus ipse deceperit, ut errarent.

Nos minus ista moramur. His siquidem Dei verbis, ad Spiritum nequam datis de Achabo decipiendo, Divinum praecipuum minime continetur, quasi vel Deus Spiritui nequam praeeperit, ut deciperet Achab, illiusque Prophetas; aut quasi illos re ipsa deceperit Deus, errorem infundens; sed Divina permissio unice significatur, qua nempe permittit Deus, ut deciperent falsi Prophetas; nec impedit, quomodo errorem animo imberent. Id enim Scripturis familiare est, ut Divinam permissionem eadem loquendi formula exprimat, qua praecipuum, distinctamque Dei Voluntatem. Quo pacto Joan. cap. 13. Christum Judaei proditori dixisse legimus, dum eum esset proxime traditurus: Quod facis, fac citius: non quasi jubens, ut citius traderet, sed finens, nec obtans, quominus id faceret, quod suapte Voluntate facturus erat: seu, ut explicant Patres, non illi est data tradendi mala Voluntas, sed permissa facultas.

Nec modo Scripturis, sed & Patribus familiaris est illa loquendi formula, ut nuda simplexque permissio verbi actum experimentibus significetur. Augustinus enim, quo nemo felicius Manichaeorum errorem impugnavit Lib. 83. Questionum Quest. 54. Deum quandoque decipere, ait, per Spiritum malum, minime vero per Spiritum bonum: ut nimirum significet, Spiritum malum Deo permittente decipere, nunquam tamen decipere Spiritum bonum.

Urgebant nihilofecius Priscillianistae; Deumque non modo falsos Prophetas in errorem labi permittisse, contendebant, sed & Prophetas suos veros, justos, ac bonos seduxisse aliquando. Cujus rei probationem repetebant ex illo Jeremiae cap. 20. Seduxisti me Domine, & seductus sum. Verum minus illi verborum illorum sensum assequabantur. Non enim se a Deo seductum queritur Jeremias, quasi ab illo ipso illusus esset: sed quod a Deo ad Judaeos convertendos missus, non eum, quem sperabat, fructum reportasset; sed ab iis pessimis modis habitus esset. Quae certe seductio vera non est, a Deo ipso facta, sed a Judaeis potius; cui duntaxat Dei missio dederat occasionem.

Verum haec levia, quae loco primo contra Dei Veracitatem a Manichaeis, & Priscillianistis jactabantur. Alius multo tibiis suas inflabant, dum ex variis veteris Testamenti Historiis evincere satagebant, Deum per sese aliquando, & saepe per Homines ab ipso specialiter afflatus falsa dixisse, putidaque mendacia protulisse.

Potissimum illud ex Cap. 4. Geneseos iactare solebant, ubi timentis Caino, ne ob perpetratum

fratricidium ipse vicissim occideretur, dixit Deus: Nequaquam ita fiet: quod tamen postea factum est cum fuerit ipse quoque a Lamecho tandem occisus.

Nullius tamen negotii est, Momento huic satisficere. Gemina etenim expedienda Difficultatis via patet. Prima est, si dicamus, falsum omnino esse, quod fingitur, Cainum a Lamecho, aut alio quopiam fuisse occisum. Id enim aperte negant Patres. Et certe qui a Lamecho occisus dicitur Genes. 4. Adolescentulus erat; non itaque Cainus Lamechi Tritavus. Altera solvendi patet via, si dicamus, Deum Caino non promississe, futurum esse, ut non occideretur a quoquam: sed ut non occideretur impune. Cum enim Cainus patrii fratricidii conscientia tactus, ac timore percussus dixisset: Ero vagus, & profugus in terra: omnis igitur, qui inveniet me, occidet me: quo significabatur eadem ipsius in cuiusque arbitrio positam esse; reposuit Deus: Nequaquam ita fiet: sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur: hoc est: nequaquam, ut putas, ut times, a quocumque pro arbitrio, & impune occideris; sed quicumque occiderit te, septuplum punietur.

Curiosius fuerit, data hic occasione, obiter investigare, quid sibi ea Scripturae Sacrae loquendi formula velit: Septuplum punietur, omnis, qui occiderit Cain. Miror enim, nonnulli Interpretes implere paginas, ut distincte, & individuae septem illas penas exponant, quibus castigandus erat quisquis Cain occidisset. Mea vero sententia, nihil est hujusmodi, quod quaeratur. Phrasia enim hebraica illa est, ex Judaeorum moribus ducta; qua simpliciter significatur, graviter fore puniendum eum, qui nefarium fratricidium occidisset. Hebraei enim ex veneratione septem diei, quam ex Dei praecipuo summe colebant, propterea quod Deus Orbem condendo die septima quievisset, septenarium numerum velut in proverbio habebant, quoties plenam, cumulatamque alicujus rei mensuram, plenum, & integrum numerum significare vellent. Sic Proverb. cap. 24. Septies enim cadet justus: hoc est: saepe numero cadet: Psalm. 11. Argentum igne examinatum: probatum verum, purgatum septuplum: hoc est, bene purgatum: Psalm. 78. Redde vicinis nostris septuplum: hoc est; inflige illis plagas numero multas. Ubi vero cumulatissimam & excedentem mensuram, & numerum denotare solebant Hebraei, septenarium numerum decuplo majorem ponebant, aiebantque septuagies septies. Hinc Petro interroganti Matth. cap. 18. Domine, quoties peccabit in me frater meus & dimittam ei? Usque septies? Hoc est, dimittam saepe? Respondit Jesus: non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies! hoc est, non tantum, saepe dimittes, sed & saepissime. Sic itaque quod ait Dominus Gen. cap. 4. Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur, id simpliciter sonat, punietur gravissime: quin propterea necesse sit, septem in Caini Occidore penas distincte perquirere: quod certe puerile admodum, & nugatorum videtur.

Confirmant id omne Versiones aliae ferme omnes. Pro eo enim quod habet Vulgata nostra, Septuplum punietur, habent illae, graviter punietur. Quorum vero, qui Cainum interfecerunt effect, gravius fuisset puniendus, quam vel ipse Cainus punitus fuerat, qui innocentem Fratrem occiderat, rationem assignant Patres: nempe quod Caini Interfector ex poena propter fratricidium illi indicta nihilo cautior evasisset, cum contra ex eo Exemplo discere quisque maxime debuisset, quam immane esset, ac abominabile homicidii scelus, quod tanta poena plecti mereretur. Sed hoc obiter dictum velim. Quare ad Inferitum, a quo Caini occasione paulisper defleximus, redeundum est;

effet; & ad caetera Priscillianistarum, Manichaeorumque Momenta diluenda progrediendum. Verum cum satis jam temporis in hocce pertractando Argumento hodierna luce insumpserimus, ne longiori vos tadio afficiam, quae dicenda supersunt, in sequentem Praelectionem remittimus expendenda.

PRAELECTIO LI.

Caetera Manicheorum, & Priscillianistarum Momenta adversus praecedentem Assertionem diluuntur.

Aliquibus in antehabita Praelectione Manichaeorum, atque Priscillianistarum Argumentis, quibus, Deum mendacis quandoque fuisse usum, ex binis Sacrae Historiae Factis contendebant, occurrimus. Reliqua modo, quae supersunt, audienda sunt, atque expendenda.

Primum ex Cap. 12. Geneseos delibabant; ubi Abraham Divino afflatus instinctu Sara suavit, ut se ejus Sororem diceret, cum tamen esset Uxor: Cumque prope esset, ut ingrederetur Aegyptum, dixit Sarae Uxori suae: Novi quod pulchra sis mulier: Et quod cum viderint te Aegyptii, dicturi sunt, Uxor illius est, & interficient me, & te reservabunt. Dic ergo, obsecro te, quod Soror mea sis: ut bene sit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam mihi. Imo Abraham ipse, Cap. 20. ejusdem Libri Genes. dixit de Sara Uxore sua, Soror mea est; quam etiam idcirco tulit Abimelech Rex Geraræ, ut tam sibi uxorem copularet: a quo tamen abstinuit, monente Domino: En morieris propter Mulierem, quam tulisti: habet enim Verum. Responditque Abimelech: Domine, num Gentem ignorantem, & justitiam interficis? Nonne ipse dixit mihi, Soror mea est; ipsa ait, Frater meus est? Hoc porro aperitissimum fuisse mendacium, quis non videat? Sara quippe Uxor Abrahami, non Soror erat.

Alterum repetebat ex Cap. 22. ejusdem Libri Genes. ubi idem Abrahamus ascensus in Montem, ut Filium suum immolaret, Servis ad Montis radicem relichis, ait: Expectate hic cum Asino: ego autem, & Puer illic usque properantes, postquam adoraverimus, revertentur ad vos. Quod certe non nisi mentiendo proferre potuit Abrahamus, & contra Mentis conceptum, cum Filium immolaturus ascenderet, tamen subinde, Angelo retrahente, res praeter expectationem contigerit.

Tertium ex Cap. 27. proferebant; ubi Jacob, eum Isaac Patre jam senio confecto, atque caeciente fraudulenter egit, aperteque mentitus est, inquit: Ego sum primogenitus tuus Esau: qualis profecto non erat. Id autem Divino factum instinctu testantur Patres bene multi, ac ipse etiam Summus Pontifex Innocentius III. Cap. Gaudemus Extra. De Divortio.

Quartum desumebant ex Lib. 4. Reg. cap. 20. ubi aegrotanti Ezechiae Regi Isaia Propheta Dei nomine denunciavit: Haec dicit Dominus Deus: Praecepte Domui tuae: morietur enim tu, & non vivet: qui tamen, ut ex eodem Capite colligitur, annos quindecim supervixit.

Quintum promebant ex Cap. 3. Jonae Prophetæ, qui Ninivitis Dei nomine denunciavit: Adhuc quadraginta dies, & Ninivis subvertetur: quae tamen subversa non est. Ita Manichaei, & Priscillianistae, ut Deum fallacem, & mendacem ostenderent, seu locutus sit Ipse per sese, seu per Viros specialiter a se afflatus.

His porro lingillatim reponimus. Ad primum, quod ex Abrahami Historia repetebant, brevi verbo respondemus, Sandissimum Patriarcham inculpate profus, ac citra mendacium Saram Uxorem

sua dixisse Sororem, quia re ipsa & Uxor illi erat, & Soror: Uxor, quod illi Matrimonio juncta esset; Soror autem, quia aliunde proxima illi Consanguinitate conjuncta. Illius quippe Nuptis erat; Filia scilicet Arami Abrahæ Fratris. Familiare etenim erat in veteri Testamento, ut proxima Cognatione juncti, Fratres dicerentur, sive Sorores. Sic Loth ejusdem Arami Filius, atque idcirco Abrahæ Nepos, Abrahæ Frater dicitur Geneseos cap. 13. Ne queso, inquit Abraham ad Loth, sit jurgium inter me, & te, & inter Pastores meos, & Pastores tuos: Fratres enim sumus. Non est itaque mentitus Abraham ea occasione, dum ipse dixit, vel Sara suavit, ut se ejus Sororem diceret, Uxoris titulo silentio praetermissio. Primum enim, quod insinuat, ex more Patriae verissimum erat; alterum tamen perinde verum, non negavit, vel negare persuasit, sed justa ratione simpliciter tacuit: quod sane licuit semper, ac citra omne mendacii crimen, praestare. Nulla siquidem Lege tenemur, omnem veritatem semper quacumque data occasione propagare; sed silere utique possumus, dummodo non negemus. Si vero seiscitanti negasset Abraham, vel negare Sara suavisset, se illius Conjugem esse, mendacium certe perpetrasset, vel perpetrare fecisset, adeoque se mendacii crimine polluisset; quod tamen ex Sacro Textu minime colligi potest. Sed etsi colligeretur, nil contra Deum, ut Manichaei contendebant, evinceretur: in ea enim hypotesi absque hesitatione reponeremus, id Abraham egisse, non ex Divina inspiratione, sed ex humana potius infirmitate, qua Vitæ suae mendacio consulere maluisset; neque enim ab Abrahamo peccatum omne, etiam leve, removemus, cuiusmodi mendacium illud extitisset: quandoquidem septies (nimirum saepius juxta Hebraicam phrasim) Justum cadere, seu leviter peccare, monet Sapiens Proverb. cap. 24. nec (una excepta B. Virgine, cujus Privilegium singulare fuit) Hominem extitisse unquam, vel exiturum puto, qui non aliquando aliqua levi saltem noxa in toto suae Vitæ cursu inquinatus non fuerit.

Neque refert, quod ea Abrahami loquendi formula, Soror mea est, vel altera, die ergo, obsecro te, quod Soror mea sis, decepti Pharaeo, & Abimelechi Marito liberam putarint, eademque Matrimonio sibi copulare cogitaverint. Pharaonis enim, & Abimelechi culpa fuit, quod id fecerint inconsulto; seque ipsimet deceperunt, dum ad usitatum Patriæ, & temporum loquendi morem, uti debuissent, animum minime attenderunt.

Nullo meliori titulo, Deo inspirante atque afflante, mentium Abrahamum obiciunt Priscillianistae, dum Filium immolaturus fervis suis ad Montis radices relichis dixisse legitur: Expectate hic cum Asino: ego autem, & Puer illic usque properantes, postquam adoraverimus, revertentur ad vos: cum tamen non essent ambo reverturi, sed Abraham tantum, immolato jam, ut Ipse quidem arbitrabatur, in Montis vertice Isaac Filio. Nihil, inquam, hoc Priscillianistarum causam juvare potest. Imprimis enim, quantum mentium tunc Abrahamum, & contra mentem locutum concederemus; perperam tamen mendacium illud refunderetur in Deum, nisi Deo inspirante & afflante locutus tunc Abraham demonstraret: quod non ita de facili demonstrabitur. Neque enim quacumque vel dixere, vel fecere Patriarchæ, imo & Prophetæ, Deo semper afflante fecisse, vel dixisse putandi sunt. Namque & Ipsi suos quandoque passi sunt manes; & pro humana conditione & infirmitate nonnulla praerurunt, quae certe Deo nequaquam inspirante fecerunt, ut superius dice-

namus; quod in Jona, in Davide, aliisque pluribus sanctissimis Viris factis compertum est. Ita difficultatem elidit Melchior Cano Lib. 2. de Locis Theol. cap. 4. ubi Abrahamum ea ratione fuisse mentium contendit, quod contra mentem dissimulandi causa locutus est.

Quia tamen hanc Cani Sententiam neutiquam nos probamus, quamvis nonnullorum Patrum, plurimisque Sacrorum Interpretum Suffragiis communitam, cæterorum Sententiæ, quæ communior est, adheremus, Abrahamumque nec mentium, nec contra mentem fuisse locutum contendimus, dum dixit, se una cum Filio, quem a se immolandum esse pro certo habebat, reversurum ad Servos: quia nimirum Filium immolatum, credebatur fore protinus suscitandum, ne Promissiones Divinæ de Ilomet pronuntiate fallerentur, quibus antea pollicitus fuerat Deus Genes. cap. 21. Abraham semen propagandum per Isaacum: *[Omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus, quia in Isaac vocabitur tibi Semen: quod profecto, cum caelebs adhuc esset Isaacus, contingere nullo pacto potuisset, si a Patre occisus suscitandus non esset, ut generationi operam daret. Id non obscure significasse videtur Apostolus ad Hebræos cap. 11. inquit: Fide obtulit Abraham Isaac. . . . arbitratus, quia & a mortuis suscitare potens est Deus.]*

Nec quicquam obest, quod ait Ambrosius Lib. de Abraham cap. 8. captiose nimirum cum servis suis Eum fuisse locutum, ne cognito negotio impediret aliquis, aut genuit obstreperet, aut fieri: quasi Ambrosius aliquo mendacii genere pollutum Abrahamum significet: captiosa enim locutio ad quoddam mendacii genus pertinere videtur. Non, inquam, id obest: quandoquidem Tō captiose idem profecto sonat, ac caute, ut recte notant eruditi Benedicini super eum Locum laudantes Glossam Decreti: nimirum ne videatur Ambrosius (eorum verba refero) docuisse, Abraham simulatē, aut mendacium locutum. Fuere siquidem, qui nihil aliud h. Doctoris nostri verbis significari contendunt, nisi h. Patriarcham mentium esse, quod contra mentem dissimulandi causa sit locutus; prophetaisse autem, quod verum dixerit, licet nesciens. His Melchior Cano Lib. 2. de Locis Theol. cap. 4. subscribit. Nec tamen putes, hinc Abraham Pietati quicquam derivari; cum veterum Patrum usque ad Augustinum tempora communis ferme opinio fuerit, boni alicujus, vel officii ergo mentiri, peccatum non esse. Verum Sententiam hanc funditus evertit Augustinus; cui Omnes postea suffragati sunt. Tamen Ambrosium in prima non fuisse opinione haud illibenter credimus; tum quia id satis indicat Augustinus Epist. 82. tum quia Sanctus ipse noster omne simulationis, ac mendacii genus proscribit Lib. 7. in Caput 12. Lucae, & Lib. 3. Offic. cap. 9. atque alibi. Unde etiam D. Thomas 2. 2. quæst. 111. art. 1. docet, Ambrosium istuc Mysterium, & Prophetiam agnoscere, non mendacium, & simulationem.

Scio non desuisse qui difficultati huic aliter satisfacere conati sunt, contententes, Abrahamum nequaquam fuisse mentium, dum ait ad Servos postquam adoraverimus, revertentur ad vos: quia de se solo id protulit, non autem de Filio, qui, ut ipse quidem putabat, immolandum erat. Quod autem plurali numero locutus fuerit, nihil obest; quia emphatica vox illa fuit, more Principum atque Magnatum, dum pro potestate subditos suos alloquuntur hinc formulis, mandamus vobis, precipimus, inhibemus, & aliis hujusmodi verbis plurali numero usurpari solitis. Potuit præterea Abrahamus de se solo reversuro loquens multitudinis numerum usurpare, revertentur ad vos, phrasi Saceris Scriptoribus utique familiari, qui ea per sepe,

veluti a pluribus gesta narrat, quæ ab uno don-taxat de multitudine, seu de numero facta sunt, dum Personarum conditio potius, quam Personæ ipsæ considerantur. Sic Matth. Cap. 26. ubi narratur, quam magnam Unguenti copiam ad Christi pedes, & caput effuderit Mulier in Civitate peccatrix, subjungitur: *Videntes autem Discipuli indignati sunt dicentes: quid perditio hæc? Quod tamen unus Judas proditor dixit. Sic & Matth. cap. 27. Idipsum autem & Latrones, qui crucifixi erant cum Eo, improperebant Ei: & Marci Cap. 15. Et qui cum Eo crucifixi erant, convitiabantur Ei; scilicet Christo Domino de Cruce pendenti: cum tamen Latronum duntaxat unum convitiatum Christo fuisse asserit Lucas cap. 23. Unus autem de his qui pendebant, Latronibus, blasphemabat Eum. Si cui hæc placent effugia, ipsa amplectentur: nos superiori Responso adhaeremus; quod & Apostoli, & Patrum Doctrina magis accommodatum novimus.*

Jam de Jacob Patris sui Isaaci Benedictionem furripiente, quam Ille Esau primogenito destinaverat, haud ita facile definierim, sit ne Ille a Mendacio excusandus, nec ne? Quæ altera Priscillianistarum objectio est. Hac enim in re Ecclesiæ Patres, ac Scripturarum Interpretes secum invicem commissos video, aliis Jacob a Mendacio excusantibus, aliis contra incusantibus. Et quidem, si Jacob, in hac tota, quæ narratur, Historia, ut Patris Benedictionem Esau fratri furripere, primogenitum sese duntaxat vocitasset, *Ego sum primogenitus tuus*, a Mendacio excusaretur quam facillime. Quia, tametsi non Natura, at certe emptiois jure, & prælatione Divina primogenitus factus fuerat: jure, inquam, emptiois, quia (*Genes. cap. 25.*) hæc ipsa prioris ortus jura Lentis edulio a prophano Esau sibi emerat. Divina quoque destinatione, quia Fratri suo a Deo ipso prælatum fuerat, eodem in Capite: *major serviet minori*: hoc est, Esau serviet Jacob: nam Primogenitorum jus erat, ut minoribus Fratribus imperarent, dum simul cohabitarent. Quia nec defuit, qui hujusmodi Privilegium ex ipsa etiam Natura Jacob debuit asserant; propterea quod, ajunt ipsi, juxta naturales dispositiones Jacob nati primus debuerat; quod tamen haud contigit imperitia Obstetricis, qua Gemellorum loca mutavit, prioremque repulit, ut posteriorem primum deduceret; vel etiam quod, cum colliderentur ante partum in Utero Parvuli, ut legitur Genes. Cap. 25. locum inter sese inverterint, primumque Esau casu obtinuerint, quem Jacob in conceptione sortitus fuerat: quibus tamen nenis, atque commentis nuntium ego mitto quam lubentissime. Quamquam, etsi ea omnia, quæ pro arbitrio venditantur a Sciolis, veritate niterentur, nihil profus ad rem evincerent; cum non ex loco, quo quis in Matris Utero ex conceptione sortitur, sed ex ipso ortu Primogenituræ jura acquirantur, quocumque tandem modo contingat.

At vero non id duntaxat Jacob protulit, *Ego sum primogenitus tuus*; alia plura addidit, animo etiam Patrem decipiendi, quæ a mendacio, & fraude excusari omnino non posse videntur. Singula, rogo vos, expendamus. *Ego sum primogenitus tuus Esau*, inquit: quod sane de veris, propriaque illius Persona a Patre intelligi voluit: ob id enim Hærdorum pelliculas illius manibus circumdederat Mater ejus, ut verus Esau secundum Personam crederetur a Patre, pilosus enim, atque hirsutus erat Esau, non item Jacob. Addidit: *Feci, sicut præcepisti mihi*. Minime vero: nec enim Ipsi quicquam præceperat Isaac, sed Fratri ejus. Quid vero præceperat Esau? *Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras*:

ras: cumque venatu aliquid apprehenderit, fac mihi inde pulmentum: quorum omnium nihil profecto egit Jacob; qui pergens ad Gregem atulit duos Hædos optimos, ex quibus Rebecca cæcuenti Seni cibos paravit. Subjunctus Jacob Patrem alloquens: *Comede de vocatione mea*: ut tibi Mendacium alterum patentissimum: nec enim ex ejus vocatione, quam nullam fecerat, cibi illi parari fuerant, sed ex Hædis de Grege allatis. Sed quid opus est verbis, ut Jacobum Patri suo Isaac mentium probemus; cum se ipsum fraudibus ejus il-lusum tandem confessus sit optimus Senex, dum, peracta tota illa facti serie, verus Esau de vocatione reversus subintravit, fraudemque retexit? Ait enim illi Isaac Pater suus: *Venit Germanus tuus fraudulenter, & accepit Benedictionem tuam*. Ecquæ vero fraudes illæ erant, quibus Patrem delusit, nisi tot illa congesta Mendacia, verbis, & factis expressa? Quare Jacobum ea in occasione a Mendacio excusari non posse puto cum Origene, Chrysostomo, Theophylacto, Tostato, Lipomano, Cajetano, Cornelio a Lapide, aliisque non paucis Sacram Scripturarum Interpretibus, quos recensere longum esset.

Neque obest, quod Factum hoc totum Mysterium fuerit, ut loquitur Augustinus. Quasi vero non possit idem Mysterium simul esse, atque Mendacium? Mysterium certe erat ex parte Dei, qui multa Facto illo significari voluit de Christo Domino: at Mendacium fuit ex parte Jacobi; qui nihil de Mytherio cogitans, nil nisi Patrem fallere intendebat, ut Benedictionem Esau destinam, mentiendō, fingendoque, furripere. Certe posse unum idemque Factum & Mysterium esse, & Mendacium, aut aliud quodcumque peccatum, liquet aliis permultis Exemplis. Namque inhonestum E. G. Chami Factum, Patris sui Noemi pudenda revelantis, & scelus fuit, & Mysterium: scelus unum idemque Chami inhoneste agentis; Mysterium ex parte Dei, hæc ipsa inhonesti Chami Actione Sacrum aliquid prægnans, puta Christi Domini nudationem, & irrisionem ab impiis Pilati Satellitibus peractam, antequam Eum Crucis affigerent; vel quid aliud hujusmodi. Factum non abimiliter Lothi, qui & inebriari se finit, & Filiabus suis incestuose abusus est, scelus fuit, & Mysterium: scelus, inquam, ex parte Lothi, uti profecto ambigit nemo: Mysterium ex parte Dei, qui hæc ipsa inebriatione, copulaque incestuosa futurum aliquid prægnavit; E. G. Hebraici Populi cum Gentibus commixtionem aliquando futuram, vel Davidis cum Bersabea, vel Judæ cum Thamar, vel quid hujusmodi. Ita de tota illa Jacobi Historia Paternam Benedictionem furripientis sentiendum; Mytheriorum scilicet ex parte Dei, & Mendaciorum ex parte Jacob esse plenissimum.

Neque tamen (quod improbe colligebant Priscillianistæ, & Manichæi) Deus tot illa Mendacia inspirasse censendus est Jacobo, aut etiam Rebecca, cujus suasu, atque consilio gesta sunt omnia. Deus enim destinata Voluntate illud tantum per sese voluit; Jacobum natu Minorem Esau natu Majori præferri; Jacobum præ Esau a Patre Isaac benedici. Hoc unum Divino instinctu, atque assilatu gestum est: at media, quibus id fieret, totam scilicet Mendaciorum struem, ordinemque nec suavit Ille, nec jussit, nec inspiravit, sed permisit duntaxat, ut ad constitutum finem cuncta perducerentur, ea videlicet Providentia, qua novit, bona ex malis etiam elicere; quin propterea malorum Auctor esse dicatur. Eo sane modo, quo Deus Josephum Egypti Præregem, & Servatorem destinata Voluntate fieri voluit; nec tamen Venditionis peccatum ab illius Fratris

perpetratum, quo demum ad eam dignitatem pervenit, suavit Ille, inspiravit, afflavit; aut, si vultis etiam, eo plane modo, quo Deus, Christum ad Hominum Redemptionem mori in Cruce voluit: nec tamen Judæis crudelitatem afflavit, ut Eum crucifigerent, sed ingenuit illis crudelitate fuit usus, malaque illorum Voluntate, ut ad destinatum Providentiæ suæ Finem perduceret universa.

Erit fortasse, qui opponat: qui vult Finem, vult quoque Media quibus pervenitur ad Finem, ut habet vulgatum Axioma: si ergo voluit Deus, Jacobum Esau Fratri suo præferri, Benedictionemque alteri a Patre destinam reportare; ea itaque Mendacia voluit, inspiravit, suggessit, quibus Paternam Benedictionem illam obtinuit. Lepide vero. Et nonne, si hæc valeret Argutia, consequens perinde esset, Deum Judæorum crudelitatem voluisse, inspirasse, suggessisse, qua Christus in Crucem est actus? Quandoquidem & hæc ipsa Judæorum crudelitas Medium fuit, quo Deus ad Redemptionis Humanæ Finem pervenit. Repono itaque, itare vulgatum Axioma, ubi Media ad Finem obtinendum per sese influant, non ubi ex accidenti duntaxat Finis ad hujusmodi Media consequitur, uti Jacobo accidit, & Christo Homini Redemptori.

Sed ad reliqua veniamus mendaciorum Exemplis, quibus Priscillianistæ & Manichæi turpiter abutebantur, ut Deum Mendacem, atque fallacem ostenderent. Tantum enim otii nobis non est, ut ita in singulis immersemur. Sequitur ergo Isaac Prophete denunciatio, Dei nomine facta, Ezechia Regi ægrotanti: *Præcipe domui tuæ; morietur enim tu, & non vobis*; qui tamen annis quindecim supervixit, atque ita salus, atque mentus Isaac videri potest, Deo licet afflatus esset. Cui duo sunt, quæ nobis respondere conveniat. Primum, comminatoriam illam fuisse Prophetiam; quæ juxta communem loquendi usum accipienda venit, tacita quadam conditione subintellecta; si nimirum is, cui fit comminatio, non respicit. Respicit autem Ezechias, ut Lib. 4. Regum cap. 20. notatum est: *Qui convertit faciem suam ad parietem, & oravit Dominum dicens: Observo Domine, memento quæso quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde casto, & quod placitum est coram te, fecerim. Flevit itaque Ezechias fletu magno. Quapropter addidit Illi Dominus quindecim annos vita. Unde nulla fuit in Isaac Prophetia falsitas, aut Mendacium; sed conditio defuit, quæ sola posita, erat exitum habitura. Alterum est, quod exponit Doctor Angelicus 1. par. quæst. 19. art. 7. ad 2. & 2. 2. quæst. 171. art. 6. ad 2. Isaacum scilicet verbis illis denunciassse Ezechia, quod scilicet ægrotudinis gravitate futurum erat. Quare nil falsi prophetavit; ægrotabat enim ad mortem, si sola secunde casta inspiceretur: non tamen id tunc temporis denunciassse, quod superno Dei Consilio, Divinaque dispositione statum fuerat; quod quidem postmodum prænuñciavit, dum inquit: *Hæc dicit Dominus Deus David Patris tui: Audivi Orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: & ecce sanavi te: die tertio ascendet Templum Domini. Et addam diebus tuis quindecim annos.* Quod ita subinde contigit.*

Idem ad Jonæ Prophetiam, a Manichæis obiecti solitam, reponere juvat: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*; quæ tamen re ipsa subverta non est: quia absoluta Prophetia non fuerat, sed ordinaria conditione suspensa; nisi respiciens egerit penitentiam. Egit autem; ideo subverta non est, nihilo violata prophetica veritate, quæ ex hac ipsa conditione pendebat.

Minio-

Minoris operæ fuerit expedire momentum aliud, quod ex Lib. Exodi cap. 1. delibabant Priscillianista, & Manichæi, ut ostenderent, Deum usque adeo Mendacem esse, atque fallacem, ut etiam Mendacium in Hominibus commendaret, præmissisque afficeret. Quocirca Factum Obstetricum Ægyptiarum proferebant, quibus cum præcepisset Pharaon Rex Ægypti, ut Hebræorum mascululos interficerent; ipsæ putido Mendacio responderunt: *Non sunt Hebræe sicut Ægyptiæ Mulieres: ipse enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas, parvulus: quo Suffragio plane mendaci ita delectatus est Deus, ut Obstetrices illas afficeret præmio: Bene ergo fecit Deus Obstetricibus. . . Et quia timuerunt Obstetrices Deum, edificavit eis Domos.*

Verum non est ita, ut dicitur, non est ita. Nec enim ob Mendacium benefecit Deus Obstetricibus, sed ob affectum Misericordiæ, quo Mascululis Hebræorum parvulis pepercerunt, spreto impii Regis Edicto. In hoc ergo Obstetricum facinore duo fecerenda veniunt: beneficium Hebræis parvulis præstitum, & medium, quo Ægyptiæ Obstetrices adhibuerunt, ut id beneficii præstarent. Primum temporali præmio affectus Deus, non item alterum.

Difficultatem multo graviores præferre videretur, quod ex Lib. 2. Regum cap. 7. peti posset; ubi deceptum omnino falsumque videmus Nathan Prophetam, ac postmodum revocare iustum, quæ Regi Davidi de Templo ædificando denunciaverat. Cum enim proposuisset David ædificare Templum Domini, Consilium ejus laudavit Nathan Propheta, probavitque his verbis: *Omne, quod est in corde tuo, vade, fac: quia Dominus tecum est.* Verum sequenti nocte responsum hoc retractare a Deo iustus est Nathan, tanquam imprudens & falsum; palamque Davidi denunciare, Templum non ab Ipso, sed ab ipsius Filio Salomone fore ædificandum. *Vade, (inquit Deus) & loquere ad Servum meum David: hæc dicit Dominus: Numquid tu ædificabis mihi Domum ad habitandum? Et paucis interjectis subdit: Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de Utero tuo, & firmabo regnum ejus. Ipse ædificabit Domum Nomini meo, & stabiliam thronum Regni ejus usque in sempiternum.* Quo ex Facto plane consequens videtur esse, ipsos quoque Prophetas Sanctissimos a Deo peculiariter affatos, falli quandoque, labique in errorem: qui idcirco in Deum, a quo Illi assantur, necessario refunditur.

Difficultatem tamen illam brevis observatio depellit, ac fugat; si videlicet attendatur, Lumen propheticum, quo Deus Prophetas affare dicitur, habitum non esse permanentem, atque constantem, qui Illis semper assulgeat; sed fugitivum duntaxat, fluxumque fulgorem, qui Illorum menti colliccat quo tempore a Spiritu Sancto moventur, ac veluti extra se rapiuntur. Quare, si quid extra id temporis Prophetæ loquuntur, si quid effantur, si quid eructant, non jam uti Prophetæ Divino Spiritu acti loqui consentant; sed uti privati Homines Genio suo ducti; quorum idcirco dicta & pronuntiata, si forte a vero exorbitent, in Deum minime sunt refundenda.

Occupatis nunc, ac probe retusis Manichæorum, & Priscillianistarum momentis, quibus Deum quandoque mentitum, falsaque locutum evincere satagebant, ad eos convertenda Oratio est Theologos recentiores, qui Deum, sin minus re ipsa mentitum fuisse aliquando, at saltem mentiri absolute posse, contendunt: Quod erit sequentis Exercitationis Argumentum.

PRÆLECTIO III.

Theologorum illorum Momenta refutantur, qui tametsi Deum nunquam mentitum esse, imo nec de Lege ordinaria mentiri posse, catholice fateantur, de Lege tamen extraordinaria id posse præstare contendunt.

Refutatis superiori Tractatione Manichæorum, & Priscillianistarum Erroribus, quibus Deum fallacem, atque mendacem aliquando extitisse blasphemabant, erat animus ad alteram institutæ Disputationis partem studia nostra, curasque convertere. Verum quominus id agamus, quorundam Theologorum nimia opinandi licentia facit; qui antiquati dudum Erroris miseræ reliquias in Scholas Theologicas intulerunt; dum Deum, quem re ipsa nunquam mentitum, ac de Lege ordinaria mentiri posse concedunt, absolute tamen Possent, ac de Lege extraordinaria mentiri posse fabulantur: quorum ineptas argutias insolutas relinquere, scelus esset; maxime cum illorum Systema absurdissimum cumulate jam in secunda Exercitatione omni momentorum genere retunderimus, ubi spectata Dei Natura, & Conditione impossibile omnino esse probavimus, Deum ullo pacto posse mentiri.

Theologos illos tres in Classes distinctos invenio; omnes tamen futilibus, & inanibus Ratiunculis nixos. Sunt enim ex iis aliqui, qui Deum absolute mentiri posse ajunt, rem longe aliter, quam ipsa sit, Hominibus enarrando, quia Omnipotens est; nihilque illius Omnipotentia sit detrahendum. Quam nos Ratiunculam, ne dicam insultatam, secunda prælectione occupavimus; ubi ex Augustino, & Doctore Angelico planum fecimus, mentiri Possentis non esse, sed Infirmi-tatis; eaque potius ratione Deum mentiri non posse, aliudve peccatum admittere, quia Omnipotens est.

Urgent tamen Illi in absurdi Systematis probationem, ajuntque, Deum nulla Lege teneri ad rem, uti est, Hominibus denunciandam; nihilque Eum Creaturæ suæ debere; adeoque nec adstringi ad verum Illi propalandum. Sit ita porro, inquit ego; nulla Lege externa teneatur Deus: tenetur tamen se ipso, suaque ipsius veritate; quam tam violare non potest, quam non potest negare se ipsum. Nihil Creaturæ suæ debeat Deus; bene est: at debet sibi: ac licet a veritate Homini propalanda abstinere absolute possit, nihil de illa revelando; si quid tamen de illa revelare voluerit, verum tenetur revelare, non falsum: tenetur inquam, non alicujus externæ Legis imperio, cum Legi Deus nulli hujusmodi subdit; sed se ipso, suaque ipsius Veritate, quæ Illi ipsi Lex est: *Voluntas Dei ipsa est Lex Dei*, inquit egregie Augustinus *Ennar. in Psalm. 36. Sermon. 3. n. 5.*

Urgent Illi obstinatius, atque in eo vim maximam ponunt. Error de illis saltem rebus, quas quis scire minime tenetur, E. G. sit ne Terra rotunda, an plana; Stet ne, an moveatur; error, inquam, de rebus hujusmodi naturalibus, malum culpæ non est, sed ut ut maxime malum pœnæ: potest autem Deus malum pœnæ cupiam infligere; maxime si ob aliquod peculiare delictum castigari mereatur: potest igitur Deus habitum erroris de rebus hujusmodi naturalibus alicui infundere, aut falsum assensum speciali quodam modo interere; seu id Ille mentiendo faciat, seu peculiari quadam motione in errorem Homines inducendo.

Rideo festivos Disputatores: sit uti volunt, sit

fit error de hujusmodi veritatibus naturalibus malum pœnæ, non culpæ; eaque fortassis ignorantie, uti pœna, castigari mereatur Homo: potest quidem Deus Hominem eo in errore relinquere, uti nos omnes E. G. in ignorantia extremi iudicii reliquit, diem scilicet illam minime declarando: at non potest expresse in errorem inducere mentiendo nobis, remque aliter, quam ipsa sit, affirmando, aut erroneum nobis habitum infundendo, ob rationes sæpius insinuat; præsertim vero, quod hoc rationi summæ, & primæ Veritati omnino repugnet. Unde sicuti ratione primæ Bonitatis nihil facere potest, quod bonum non sit; ita ratione primæ Veritatis nihil revelare, insinuare, vel inspirare potest, quod non sit verum.

Succedunt eo in ordine Theologi alii, qui Deum sin minus se ipso, at saltem per alium mentiri de Lege extraordinaria posse contendunt; Alium scilicet assando, ut falsum aliquid querentibus, & interrogantibus proferat; quæ Aliacensis, & Gabrielis opinio fuit, nihilo profecto tolerabilior. Quemadmodum enim indifferens omnino est, quod quis aut lingua, aut nutibus, aut scripto loquatur; eademque semper profertur veritatis obligatio incumbit; ita perinde est, quod quis se ipso, aut per alium mentiatur: adeoque tam non potest Deus per Internuncium falsum dicere, quam nec per se ipsum: sic enim ipsemet falsum per nuncium suum diceret: *Non enim vos estis, qui loquimini: sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Matth. cap. 10.*

Certe rueret perinde totius nostræ Fidei fundamentum, si Deus in alio, & per alium falsum dicere posset de Lege extraordinaria. Deus enim Fidei veritates Ecclesiæ suæ revelavit per Internuncios suos; Patriarchas scilicet, Prophetas, atque Apostolos, qui Libros Canonicos conscripserunt. Si ergo per Internuncium mentiri absolute potest, nunquam profecto certi erimus, ea Illum per hujusmodi Internuncios mentendi potestatem non esse usum: atque ita semper in incerto Fidei nostræ fluctuabimus. Tota ergo formula cadunt Theologi illi.

Postremo tandem loco veniunt alii, qui putant, Deum, sin minus ut subsistentem in Natura propria, at certe ut subsistentem in Humana Natura, qualis erat Christus Dominus, posse absolute mentiri: atque ita Christum absolute mentiri potuisse comminiscuntur. Quod ita sibi videntur evincere. Deus, inquit Illi, non minus est Vita, quam Veritas: *Ego sum Via, & Veritas, & Vita*, inquit Christus Dominus *Joan. cap. 14.* at tamen se ipso Vita sit, in assumpta tamen Natura mori potuit: quamvis itaque se ipso Veritas sit, quidni in assumpta Natura mentiri poterit?

Argute scilicet, atque subtiliter. Non advertunt imprudentes, ingens discrimen esse immortalitatem, & mendacitatem. Mortalitas, uti & passibilitas, defectus physici sunt Humanæ Naturæ: qui, præterquamquod eam necessario consequuntur, possunt etiam ad finem Redemptionis Humanæ referri, eidemque inservire. Quare nihil vetat, Christum Humani Generis Redemptorem passibilitati, & mortalitati fuisse obnoxium, ut & pati, & mori pro nobis posset. At Mendacitas, seu mentendi potestas defectus moralis est, fini Redemptionis Humanæ plane contrarius: quare repugnabat, defectum illum moralem assumi a Deo, dum pro nobis Humanam Naturam assumpsit; non autem repugnabat assumi physicos defectus, quos certe plures assumpsit, ac inter eos ipsam passibilitatem, quæ juxta æternam Divinæ Providentiæ Decretum, Medium erat Redemptionis Humanæ.

Addiderim Mortalitem, & Passibilitatem ad genus Passionis pertinere; Mendacitatem vero, & Peccabilitatem ad genus Actionis. Porro Passiones ita Humanam Naturam afficiebant in Christo, ut tamen Personam illius Divinam nequaquam afficerent, sed duntaxat, ut Schola loquitur, denominarent: Actiones vero, qualescumque illæ essent, Personam non modo denominabant, verum etiam afficiebant; propterea quod Actiones Suppositorum sint, & a Suppositis, seu Personis juxta D. Thomæ Doctrinam eliciantur, Idcirco non repugnavit, Christum & pati, & mori; quia nec Passione, nec Morte Divinam illius Suppositum affectum est: repugnavit autem, peccare, atque ita mentiri, ne peccato ipso Divinum Suppositum afficeretur.

Mori, non defuisse eo in ordine Theologos aliquos, qui Christum non modo mentiri potuisse, sed & re ipsa mentitum esse contenderent; suiique præsidium Erroris peterent ex pervulgato Christi Responso Apostolis de extremi iudicii die querentibus dato, *Marci 13. De die autem illa, vel hora nemo scit, neque Angeli in celo, neque Filius, nisi Pater*: quod quidem videtur Ille, non nisi mentiendo, dicere potuisse, cum diem illum certissime sciret.

Vulgata Responso est, Christum nescivisse scientia humana diem illum, scivisse tamen scientia Divina. Neque obest, si forte dixeris; ad vulgatum illud Responsum eludendum, Apostolos a Christo Domino petiisse, ut ipsi diem iudicii revelare dignaretur: porro, ut eam revelaret, tantundem Illi erat, si diem illum, sciret Scientia Divina, siue Scientia humana: quidquid enim alterutro modo noverat, revelare prinde poterat: illis igitur videtur illusisse, dum se nescire respondit, ut Homo erat. Misit vero. Esto enim absolute revelare Hominibus posset, quæ ex sola Scientia Divina noverat; id tamen revelare Hominibus minime congruebat, ne si plura scirent, quam quæ Christus sciret, ut Homo. Quare non illustravit Christus Apostolis; quia dato Responso significare voluit, non congruere, ut illi puri Homines scirent, quod ipsemet nesciebat, ut Homo, tametsi aliunde sciret, ut Deus.

Addam ego, subdubium esse Contextum Evangelicum, qualis nobis obicitur, *De die illa nemo scit, neque Angeli in celo, neque Filius*. Perique enim Codices Græci D. Marci voces illas nequaquam habent, *neque Filius*. Imo nec in Evangelio *Matthæi cap. 24.* ubi eadem Christi Domini Responso Apostolis data legitur, verba illa, *neque Filius*, continentur in ipsa Vulgata nostra.

Ais tamen mihi: Christus saltem eo Apostolis dato Responso æquivocatione, & amphibologia usus fuit; cum hoc Responsum æquivocum saltem esset, duplicemque sensum posset habere, variisque modis ab Apostolis accipi. Est autem æquivocatio mendacii genus, illicitum profus, & Christiana simplicitate apprime indignum; uti profecto declaravit Innocentius XI. in *damnatione Propositionum num. 26. 27. 28. in suo Decreto anni 1679. die 4. Martii*, adversus Theologos nonnullos, Moralis Evangelicæ corruptores, qui æquivocationum usum tanquam licitum in Scholas invexerant. Hoc ergo dato Responso peccavit Christus.

Nodum hunc ut paucis expediam, observare operæ pretium est, æquivocationem duplicem esse generis; materialem, ut ita dicam, unam, formalem alteram. Materialis æquivocatio est, eaque inculpata & innocens, dum quis verbo utitur duplicem quidem sensum habente, lascivus ra-